Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

non erant ascendentem. ut cum isti peruenissent,
et illi non descendissent. super id quod fecerant
addidit ad quod fecerant pertingerent. ut
cum eo essent a quo facti erant. Fecit itaque deus ho
minem ex duplici substantia. corpus secundum
materiam de terra sumens. animam uero sine
materia de nichilo fingens.

Qualiter homo ad imaginem et similitudinem dei factus est.

Factus est autem
homo ad imaginem et similitudi
nem dei. quia in anima que potentior pars ho
minis erat. immo que potius ipse homo erat. fuit
imago et similitudo dei. imago secundum ra
tionem. similitudo secundum dilectionem. Ima
go secundum cognitionem ueritatis. similitudo secundum
amorem uirtutis. Vel imago secundum scientiam. si
militudo secundum substantiam. Imago quia omnia
in ipsa secundum sapientiam. similitudo quia unum
et simplex ipsa secundum essentiam. Imago quia ra
tionalis. similitudo quia spiritualis. Imago
enim pertinet ad figuram. similitudo ad
naturam. Hec autem in anima sola facta sunt quia cor
porea natura similitudinem diuini
tatis capere non potuit. que ab eius excellen
tia et similitudine in hoc ipso longe
fuit. quod corporea fuit.

De creatione et origine anime.

Querunt autem quidam plurima de origi
ne anime. quando creata fuit. et unde crea
ta fuit. et qualiter creata fuit. Nos uero in presenti
abbreuiatione tam multiplices opinio
nes persequi superuacuum et infructuosum es
timamus. et hoc solum nobis sufficere putamus.
si ea tantum que sentienda et asserenda sunt propo
nimus. In hiis ergo fides catholica hoc po
tius elegit. et ueritati magis consentaneum
iudicauit. ut credamus animam primi ho
minis quando facta est non de preiacenti aliqua materia
factam. sed de nichilo creatam. neque factam
a principio quando angeli facti sunt. sed postea cum corpus ipsum
cui infundenda fuerat formatum est ab ipso
creatore simul et factam et corpori sociatam. Utrum
uero in corpore uel extra corpus creata sit. quanto difi
cilius est scire. tanto minus est periculosum ignora
re. Neque uero in hiis ingenium hominis approbandum esti
matur. si hiis que difficilia sunt pertinacius insistit. sed
potius si ea que facienda sunt prudenter discernit. Est quod
enim stulticie presumere in hiis que non possit sciri.
et deficere in hiis que non debent ignorari. Propterea
quamuis sane fidei satis est que ratam agnoscere et ea que cu
riositas sola scrutari suadet desistamus inues
tigare. Creauit deus animam primi hominis de nichilo.
et inspirauit eam corpori de terra per materiam sumpto
et formato. dans ei sensum et discretionem boni et
mali. ut corpus ipsum cui sociatum per sensum uiuifica
ret. per rationem regeret. et in ipso homine sensus esset sub
iectus rationi. ratio creatori. ut secundum rationem corpus moueretur per
iii. sensum. Ratio autem libero arbitrio moueretur secundum deum.

De libero arbitrio.

Porro tres sunt motus
in homine. Motus mentis. motus corporis. motus
sensualitatis. Motus mentis in uoluntate est. motus
corporis in opere. motus sensualitatis medius
in delectatione. In motu mentis solo liberum ar
bitrium est. in motu corporis et sensualitatis illa
sunt que sequuntur liberum arbitrium. Sic enim fuit prima
dispositio nature. Nam motus mentis uoluntarius est appe
titus. in uoluntario liberum. in appetitu arbitrium.
Mens ergo per se mouetur. et est primus uoluntatis motus.
Motum uoluntatis sequitur motus corporis. Mens
itaque sic per se moueri habet. sed secundum se moueri non debet.
immo secundum uoluntatem creatoris sui. que forma illi
est et exemplar et proposita regula quam sequatur. Itaque
hoc si secundum deum mouetur. hoc est iusticia. si preter deum mouetur.
contra deum. hoc est iniusticia. Sed motus mentis iusticia semper
est. uel iniusticia. Motus autem corporis semper est obedi
entia. Quod enim mens mouetur. libertate mouetur. quia uo
luntarie mouetur. et per se mouetur. et ideo quando mouetur uel
ad meritum sibi bene. uel male ad culpam.